chio & Papio, eis simùl injungens silentium supèr dubitationibus, difficultatibus, & querelis occasione hujus Bullæ excitatis, aut excitandis. Diù postèa, ann. scilicèt 1690. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Bullæ Urbani VIII. In eminenti, est subreptitia.* Non fuit autèm hæc Bulla solemnitèr promulgata in Belgio, obstantibus Jansenistarum molitionibus, nisi ann. 1648. instante apùd Regem Catholicum & Archiducem Leopoldum Innocentio X. Urbani Successore.

IV. Intereà dimicabant in Gallia Isaacus Habertus Doctor Sorbonicus contrà Jansenium, & Antonius Arnaldus pro Jansenio. Anno 1649. instante D. Cornet Facultatis Parisiensis Syndico, delatæ sunt ad examen Facultatis 7. propositiones, a quibus duabus ultimis recissis, & neglectis remanserunt quinque famosæ, scilicèt. 1. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoquè iis gratia, qua possibilia fiant. 2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquàm resistitur. 3. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. 4. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant Hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare. 5. Semi-Pelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Anno 1650. 85. Episcopi Gallicani has 5. propositiones Jansenii deferunt Innocentio X. condemnandas. Obstant ex adverso 11. Episcopi. Epistolam 85. Episcoporum reddit Innocentio X. 12. Aprilis 1651. Orator Regis Christianissimi. Alteram 11. Episcoporum reddidit Ludovicus de Saint amour Doctor Sorbonicus. Congregationibus institutis ad examen 5. propositionum, adveniant eodem anno Romam missi ab aliquot Episcopis DD. De Brousse, De la Lane, Doctores Parisienses, & Angran Licentiatus pro iis tuendis. Ex altera parte pro promovenda earum condemnatione accedunt DD. Hallier, Lagaut, & Joysel.

In 1. Congregatione SS. Pontifex Innocentius X. palàm declaravit, se nolle ullum præjudicium inferri doctrinæ SS. Aug. & Thom. Pòst celebratas duorum annorum spatio 36. Congregationes, in quibus causa Jansenii *ea diligentia, qua major desiderari non posset* (ut dixit posteà Alexander VII.) discussa est, tandèm Innocentius X. die 31. Maii 1653. edidit Constitutionem *Cùm occasione*, in qua 5. propositiones, unamquamque speciali Censura notatam condemnat.

Primam, declarat, esse temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam; & uti talem damnat. Secundam, ut hæreticam. Tertiam, itèm ut hæreticam. Quartam, falsam & hæreticam. Quintam, falsam, temerariam, scandalosam: & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxàt Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, sontumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarat; & uti talem damnat.

V. Hanc Constitutionem jussit Rex Christianissimus in suo Regno promulgari; & Episcopi Parisiis congregati eodem anno eam acceptarunt. Verùm, ut eam eluderent Janseniani, duo commenti sunt effugia: Primum, has 5. propositiones non esse Jansenii: Alterum, damnatas esse in sensu, a sensu Jansenii alieno: & hinc orìgo famosæ distinctionis juris & facti. Anno 1656. Alexander VII. Innocentii Successor, dedit alteram Bullam, in qua declarat 5. propositiones *Ex libro Jansenii excerptas, & in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse*; & uti tales ierùm damnat. Hæc Constitutio fuit solemnitèr recepta ab Episcopis Gallicanis ann. 1657. Anno 1661. iidem Præsules exposuerunt per litteras Alexandro VII. se ad firmiorem Constitutionum Apostolicarum executionem adhibuisse usum formulæ subscribendæ, cui subscribere multi recusabant, eo prætextu quòd hujusmodi formulas condere ad SS. Pontificem privativè pertineat: quapropter rogabant, ut hujusmodi formulam mittere dignaretur. Annuit Alexander VII. data ann. 1665. nova Constitutione, *Regiminis Apostolici*, in qua hæc fidei formula ab omnibus, & singulis Clericis subscribenda continetur: *ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ 31. Maii, anno 1653: & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris, anno 1656. SS. Pontificum, me subjicio, & 5. propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno; & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Huic autèm formulæ subscribendi auctoritati Pontificiæ accessit mandatum Regium. Hac subscriptione coarctari Jansenistæ duo distinxerunt in formula, nempè jus, seu doctrinam contentam in 5. propositionibus, & factum scilicèt attributionem hujus doctrinæ libro Jansenii. Quantùm ad 1. profitebantur se sincerè damnare in quinque propositionibus sensum erroneum, quem Ecclesia damnare voluit; & quantùm ad hoc se paratos esse subscribere Formulario. Quantùm autèm ad 2. divisi fuere: quidam Rigidiores contendebant nullo modo posse subscribi: alii remissiores opinabantur posse subscribi adhibitis quibusdam restrictionibus, seu cautionibus.

VI. Quatuor Episcopi Gallicani, Andegavensis, Bellovacensis, Apamiensis, & Alectensis in suis publicis mandatis pro subscriptione Formularii distinxerunt jus & factum: juri assensum fidei, facto silentii reverentiam tantùm deberi dixerunt. Sed indè offensis SS. Pontifice & Rege Christianissimo, alteram Formularii subscriptionem suis Diœcesanis jusserunt, & Clementi IX. Alexandri Successori per litteras testati sunt se *Sincerè, & absquè ulla restrictione* Formulario Alexandri VII. subscripsisse. Idem testati sunt eidem Clementi IX. 3. Episcopi, Cardinalis Estreus Laudunensis, Senonensis, & Catalaunensis, pacis inter 4. dictos Episcopos & SS. Pontificem Mediatores: cujus narrationis veritate supposita, Clemens IX. Litteras gratulatorias dedit 4. Episcopis ann. 1669. Hac Pontificis cum 4. Episcopis reconciliatione abusi sunt Janseniani in patrocinium sui obsequiosi silentii: dixerunt namquè, laudatos 4. Episcopos in subscriptione, quæ continetur in actis verbalibus Synodorum Diœcesanarum, inseruisse eamdem distinctionem, & exceptionem Juris & Facti; qua non obstante, nec Pontifici incognita, ipse tamèn pacem cum illis inierat, & indè dicta est Pax Clementis IX. Verùm, esto in actis verbalibus secretis contineri restrictionem, seu exceptionem Facti, certum est eam SS. Pontifici non innotuisse, & ipsum existimasse dictos Episcopos sine ulla exceptione subscripsisse. Id constat 1. ex Litteris istorum Episcoporum & Mediatorum ad SS. Pontificem, de quibus suprà. 2. Ex ipsius Clementis Brevi, dato 1668. Regi Christianissimo, in quo dicit, *se cum lætitia cognovisse in simplici & pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam.* 3. Ex altero Brevi ejusdem Pontificis ad Episcopos, pacis Mediatores, 19. Januarii 1669. ubi dicit SS. Pontifex, *Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex litteris Fraternitatum vestrarum...de perfecta, & integra obedientia nobis, & Apostolicæ Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Alectensem subscriptione formularum sincero animo, & juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum ab eis facta.* Itèm ex altero Brevi ejusdem Clementis XI. ad 4. Episcopos prædicto eodem die & anno dato, in quo dicit: *Cum ingenti obsequii, nobis & huic S. Sedi per vos debiti, testatione significabatis, vos juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum...sincerè subscripsisse & subscribi fecisse Formulario... Nàm, Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè inhærentes, nullam circà illud exceptionem, aut restrictionem admissuri unquàm fuissemus.* Quid expressius? 4. Tandèm ex Bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabbaoth*, data ann. 1705. in qua SS. Pontifex gravitèr reprehendit eos, qui Clementis IX. *Litteras in erroris sui patrocinium advocare temerario planè ausu non erubescunt... perindè ac si memoratus Clemens prædecessor... aliquam in tàm gravi negotio exceptionem, seu restrictionem: quam nullam prorsùs se unquàm admissurum protestatus fuit, reipsa admisisset.*

VII. Cùm nonnulli Episcopi Belgici ad majorem cautelam contrà fraudes Jansenianorum quasdam ad additiones Formulario fecissent, eas Innocentius XII. Brevi dato 1694. ad Episcopos Belgii improbavit & prohibuit, jussitque subscribendum esse Formulario, & damnandas esse propositiones *in sensu obvio, quem* tam ipsius Formularii, quàm propositionum verba *præ se ferunt*; injunxitque simùl: *Ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sinerent, nisi priùs suspectum esse constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse; aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, munìis, Beneficiis, Gradibus, & Concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato Juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.* Verùm, cùm hæc hujus Brevis verba, *in sensu obvio, quem verba præ se ferunt*, in alienum sensum detorquerent Jansenistæ, quasi Pontifex exigeret tantùm, ut propositiones in seipsis damnarentur in sensu obvio, quem earum verba præ se ferunt, nulla facta mentione, nec habito respectu ad sensum Jansenii, hunc vanum eorum Triumphum repressit idem Pontifex altero Brevi dato ad eosdem Belgii Episcopos ann. 1696. Neque eos juvant hæc voces, *prætensi Jansenistæ*, quibus utitur Pontifex in isto Brevi: non enim per illas intelligit fictos Jansenistas, ut quidam imaginantur, sed qui tales prætenduntur, id est, denunciantur & declarantur: distinguit enim ibi Pontifex inter Jansenistas internos & externos, quos utrosque *prætensos* appellat, & mandat, ut externi secundum rigorem Juris puniantur: ergo per tò *prætensi* non intelligit fictos, aut falsos.





VIII. Anno 1702. confictus est famosus casus conscientiæ, in quo quidam Clericus inducitur, cui absolutio denegata fuit, quia declaraverat *se revera 5. propositiones simpliciter, & absolutè damnare, ac formulæ fidei Alexandri VIII. subscripsisse quidèm, nihilominùs quantùm ad quæstionem facti, seu attributionem illarum 5. propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium.* Hic casus propositus fuit 40. Doctoribus Parisiensibus, qui hic verbis responderunt: *Doctores infrà scripti, visa casûs expositione, hujus Ecclesiastici viri sententiam nec novam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam, neque talem, ut Confessarius possit ipsi Sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. Julii ann.* 1702. Hanc responsionem improbavit, & proscripsit Clemens XI. Brevi dato anno 1703. ad Regem Christianissimum. Eamdem eodem ann. damnavit Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis. Idem præstiterunt plurimi Episcopi Gallicani. Hinc factum est, quòd omnes Doctores Parisienses, uno excepto, subscriptionem suam revocaverint. Postremò Clemens XI. solemni Bulla *Vineam Domini Sabbaoth*, data anno 1705. postquàm confirmavit, ac innovavit Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VIII. & Brevia Clementis IX. & Innocentii XII. a pravis Jansenianorum interpretationibus vindicavit, decernit, *obedientiæ, quæ præinsertis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri.*

IX. Tandèm, cùm Paschasius Quesnel, Oratorii Jesu Presbyter, in libro Reflexionum moralium in novum Testamentum multos errores in Bajo, & Jansenio damnatos inserusisset, idem Clemens XI. anno 1713. librum & 101. propositiones ex eo excerptas damnavit celebri Constitutione *Unigenitus*, quæ ab universa Ecclesia est acceptata, a qua proindè non est appellatio, utpotè ab Ecclesia ad Ecclesiam.

Subjiciemus infrà systemata Jansenii.

# DISSERTATIO II. PRÆAMBULA.

## DE VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS.

STatus est conditio homini conveniens cum quadam firmitate, & immobilitate. Sumitur hic pro conditione, & modo stabili, quo se habet natura humana in ordine ad suum ultimum finem. Quintuplex distinguitur. 1. Status naturæ puræ. 2. Status naturæ integræ. 3. Justitiæ originalis. 4. Naturæ lapsæ. 5. Naturæ reparatæ. Posset adjici status gloriæ, & status damnationis; sed de his non est hic quæstio, quia tantùm nùnc naturam spectamus, proùt per auxilium divinum tendit ad suum ultimum finem. Itaquè hanc Dissertationem Tractatui gratiæ præmitto, quia illorum statuum explicatio non parùm conducit ad cognitionem necessitatis, diversitatis, & proprietatum gratiæ, moventurque circa illos graves difficultates.

### ARTICULUS I.

*Explicantur quinque Status naturæ humanæ*

#### §. I. *Status naturæ puræ.*

STatus naturæ puræ importat præcisè naturam cum suis principiis intrinsecè constituentibus, & iis, quæ ex illis sequuntur, seu ei debentur. Hinc. 1. Homo in natura pura conditus foret sine peccato, sine gratia sanctificante, sine virtutibus infusis, & sine auxiliis gratiæ ordinis supernaturalis, quia hæc illi non debentur ex ejus principiis intrinsecis. 2. Foret obnoxius fami, siti crucianti, labori, morbis, passionibus alterantibus, & morti; quia, cùm corpus, quod est pars materialis naturæ, componatur ex contrariis, quæ continuò inter se pugnant, hæc ex ejus principiis intrinsecis sequuntur. 3. (1. *contr. gent. c.* 52.) Obnoxius foret ignorantiæ, & concupiscentiæ. Ignorantiæ, quia, cum intellectus natus sit ex sensibus notitiam intelligibilium acquirere, facilè propter phantasmata a vero deviare potest. Concupiscentiæ; quia, cum in natura humana non sit solùm appetitus rationalis, sed etiàm sensitivus, scilicèt irascibilis, & concupiscibilis, & unusquisque feratur in suum objectum, rationalis in bonum secundum rationem, seu bonum honestum, irascibilis in bonum sensibile arduum, concupiscibilis in bonum sensibile delectabile, non raro contingeret, quòd appetitus sensitivus ferretur in bonum sensibile contra dictamen rationis, sicque forent motus inordinati contra rationem; sicùt videmus, quòd æger appetat potum frigidum, repugnante ratione. Neque obstat, quòd appetitus sensitivus naturalitèr subjiciatur rationi; (1. 2. *quæst.* 17. *art.* 7. *o.*) subjicitur enim dumtaxàt policitè, ut civis Principi, uxor viro, filius Patri, qui possunt rebellare; non despoticè, ut servus domino, pes, aut manus voluntati, quæ in omnibus obediunt.

4. Finis ultimus, seu beatitudo objectiva hominis in hoc statu foret Deus, ut Auctor naturalis, proùt modo nostro concipiendi distinguitur a seipso, ut est Auctor supernaturalis. Beatitudo formalis foret perfecta conjunctio cum illo, ipsum cognoscendo abstractivè, seu per effectus, & suavitèr, ac constantèr ei adhærendo per amorem. 5. Ad obtinendum hunc finem per observantiam omnium præceptorum naturalium, & victoriam concupiscentiæ rebellantis, darentur in eo statu auxilia ordinis naturalis, sufficientia omnibus, efficacia quibusdam. Neque ista auxilia etiàm efficacia huic statui derogarent, quamvis enim cuilibet hujus naturæ individuo non deberentur, forent tamèn debita speciei naturæ, eaque suæ providentiæ deberet Deus, ne frustrà naturam ad aliquem finem condidisset, si nullum ejus individuum hunc finem assequeretur: sicùt naturæ elevatæ ad finem supernaturalem debentur auxilia ordinis supernaturalis, sufficientia in omnibus ejus individuis, efficacia in quibusdam ad hunc finem prædestinatis.

6. Quamvis tempore S. Thom. (*In 2. d.* 29. *quæst.* 1. *art.* 2. 1. *p. quæst.* 95. *art.* 1.) quidam Theologi tenerent hunc statum extitisse in Adamo, antequàm gratia sanctificante donaretur; nùnc tamèn omnes conveniunt nunquàm extitisse, sed primum hominem, sicùt & Angelos, fuisse creatos cum gratia sanctificante, & elevatos ad ordinem supernaturalem. Dicitur enim Eccli. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Et Aug. 12. de civit. c 9. loquens de Angelis, est autèm eadem ratio de homine, *Deus*, inquit, *simùl erat in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Insuper Matth. 25. dicitur, Deum a constitutione mundi præparasse bonis Regnum Cœlorum, malis Infernum, id est, felicitatem, & infelicitatem supernaturalem, consequentèr Deum instituisse ordinem gratiæ simùl cum ordine naturæ, & ad illum Angelos, & homines elevasse.

#### §. II. *Status naturæ integræ.*

1. STatus naturæ integræ consistit in perfecta subjectione corporis ad animam, & appetitûs sensitivi ad rationem: proindequè important immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, morte, & passionibus naturam alterantibus. Quia natura dicitur integra, dùm inter ejus partes nulla est divisio, aut defectio a perfectione, inferioraque perfectè subduntur superioribus, consequentèr dùm corpus perfectè continetur sub potestate animæ, ità ut nulla alteratione, aut corruptione ab ejus dominio deficiat, & appetitus sensitivus nihil habet rationi repugnans. Quòd si esset tantùm alterutra subjectio, vel solius animæ ad corpus, vel solius appetitûs sensitivi ad rationem, non foret perfectus status naturæ integræ, sed partialis ejus perfectio. 2. In ea naturæ integritate fuit creatus Adam. 1. Quantùm ad immortalitatem, constat ex illo Genes. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: ergo, si non comedisset, non fuisset mortuus. Irèm ex illo Sap. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem, invidia autèm diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Ad Rom. 5. *Per peccatum mors.* Et Pelagius in variis Conciliis fuit damnatus, quòd diceret Adamum esse mortalem factum, nosque nasci mortales, sicùt Adam fuit creatus. Quantùm ad immunitatem a concupiscentia, patet ex eo, quòd Genes. 3. dicatur, quòd, cum Adam, & Eva essent nudi, non erubuerint; erubuerunt autèm post peccatum; quia scilicèt ante peccatum nullus motus inordinatus, de quo erubesceret, oriri poterat, post peccatum autèm ortus est: & ideò Apost. vocat concupiscentiam peccatum, quia de peccato orta est, ut dicit Trid.

3. (1. *pars. quæst.* 97. *art.* 1. *o.* & 3. *ad* 2. 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. *o.*) Donum integritatis situm erat in quodam vigore, quo homo corpus, & appetitum sensitivum ità sub dominio continebat, ut nihil in eis contrà ejus voluntatem accideret. Quantùm ad defectum senectutis, contra quem iste vigor nihil poterat, aderat lignum vitæ, cujus proprius effectus erat vim vegetativam a simili languore præservare. 4. Istud donum in-

tegritatis in Adamo oriebatur a gratia sanctificante: quia, ut diximus ex SS. August. & Thom. dùm de peccato originali, quamdiù ratio superior subdebatur Deo, quæ subjectio habebatur per gratiam sanctificantem, corpus perfectè subdebatur animæ, & appetitus sensitivus rationi; ab ea tamèn gratia originali distinguebatur, quia erant diversi ordinis; integritas enim est forma perficiens naturam in ordine naturali, non elevans ipsam ad ordinem supernaturalem, nec constituens hominem filium Dei adoptivum, participem divinæ naturæ, & hæredem Regni Cœlestis, quæ omnia præstabat gratia sanctificans. Undè nihil obstabat, quin potuerit Deus creare hominem in statu naturæ integræ absquè justitia, seu gratia originali; quia tamèn isti duo status in Adamo fuerunt adunati, sæpè a Patribus, & Theologis confunduntur.

### §. III. *Status justitiæ originalis.*

Hunc felicissimum statum, qui per antonomasiam vocatur Innocentiæ, eleganter describit S. Thom. opusc. 2. c. 185. eumque constituit in perfecta subjectione rationis ad Deum, appetitûs sensitivi ad rationem, & corporis ad animam. Quæ duo ultima sequebantur ex primo ut dictum est; ex hoc enim quòd homo esset per gratiam amicus, & filius Dei, conveniens erat, ut illi cætera subjicerentur. Habet quidèm anima rationalis ex natura sua, cum sit imago Dei, quòd dominetur cæteris sibi inferioribus; sed istud dominium est imperfectum. Cum verò per gratiam originalem perficeretur in eo ratio imaginis, exigebat, ut, quamdiù adhæreret, & subjiceretur Deo, cætera illi perfectè subjicerentur; poterat autèm ab hac perfecta ad Deum subjectione deficere per peccatum, voluntate ejus nondùm confirmata in bono.

Hinc sequitur 1. (1. *part. quæst.* 95. *art.* 1.) quòd Adam, qui, ut communitèr nùnc tenent Theologi, sicùt dictum est, fuit in eo statu creatus, aut saltèm juxta quosdam statim post creationem constitutus, habuerit omnes virtutes infusas tàm Theologicas, quàm morales, & dona Spiritûs S. quia hæc omnia sequuntur gratiam sanctificantem, ut ejus proprietates, seu appendices. Sequitur 2. ipsum fuisse immunem a fame, & siti crutiante, a tristitia, & doloribus, a passionibus alterantibus, a morbo, morte, & concupiscentia, ex dono scilicèt integritatis, securo ad justitiam originalem, ut dictum est.

Sequitur 3. in eo fuisse plenitudinem scientiæ rerum naturalium, & supernaturalium, quantùm exigebat dignitas, & officium Præceptoris, & Rectoris posterorum. Erat enim constitutus Adam caput generis humani, non solùm quantùm ad gratiam, sed etiàm quantùm ad instructionem, & gubernationem; quæ ratio cum non curreret pro posteris, hi nec nascerentur, ut ipse creatus fuit, in perfecta ætate, nec hanc scientiæ plenitudinem haberent, sed facilè acquirerent. Sequitur 4. justitiam originalem, si adæquatè sumatur, proùt ineludit omnes perfectiones, & prærogativas hujus statûs, non esse unam simplicem qualitatem, seu habitum, sed plurium donorum, & habituum aggregatum: quia unus simplex habitus non tam diversas corporis, & animi potentias regere potest, nec in tot diversis subjectis residere. Si verò sumatur inadæquatè pro perfectione illius statûs primaria, ex qua aliæ tanquam ex radice promanabant, est simplex qualitas, ipsa scilicèt gratia sanctificans; quia, ut jam dictum est, primaria hujus statûs perfectio, ex qua aliæ profluebant, erat perfecta animæ subjectio ad Deum, non solùm, ut Auctorem naturalem, sed etiàm supernaturalem; subjectio autèm Deo, ut auctori supernaturali, est per gratiam sanctificantem.

Petes, utrùm hæc gratia sanctificans statûs innocentis fuerit ejusdem rationis, & speciei cum gratia sanctificante hujus status naturæ lapsæ? R. fuisse eamdem specie quoad substantiam, quia idem est formalis effectus utriusque gratiæ, scilicèt constituere hominem Deo gratum, filium ejus adoptivum, amicum, & hæredem Regni Cœlestis; ratio autem formæ dignoscitur ex ejus effectu formali, cùm ipse sit forma communicata. Fuit tamèn diversa quoad modum sese communicandi subjecto, quia gratia justitiæ originalis communicabat homini plures effectus secundarios, ut exposuimus, quos nùnc non communicat.

Diversitas autèm istius modi petitur tùm ex parte principii, tùm ex parte subjecti, tùm ex parte termini. Ex parte principii; quia gratia status innocentiæ procedebat a Deo ut Creatore instituente naturam tàm in esse naturali, quàm supernaturali; undè fuit per modum creationis, cujus est opus suum statim perfectum producere. Gratia verò hujus status procedit a Deo ut Redemptore, non ut naturam instituente, sed ut personas sanante; undè non datur, proùt congruit naturæ, & ipsi gratiæ secundùm se spectatæ, ut in prima creatione, sed secundum modum, quem ipse Redemptor homini sanando congruentiorem judicavit; & hic mòdus est, ut anima a morbo peccati sanaretur, deindè per humilitatem, & pœnitentiam ad perfectionem perveniret.

Ex parte subjecti: Gratia primi statûs respiciebat per se naturam, & ratione naturæ personas; erat enim dos naturæ collata in sua creatione, non suo jure, sed ex singulari beneficio Creatoris; & cum in ea natura, nimirùm innocente, nihil reperiret sibi contrarium, plenè, & integrè se illi communicabat quoad omnes suos effectus, tàm primarios, quàm secundarios. Gratia autèm hujus statûs primò per se respicit personam sanandam, & ratione personæ naturam; & cum reperiat personam omnino sibi contrariam, & suis dotibus indignam, non se plenè illi communicat, sicùt congrueret ipsi gratiæ secundum se, & naturæ non indispositæ, ut in prima creatione, sed juxta modum homini sanando magis congruum. Judicavit autèm Deus, ut jam dixi, non congruere homini, ut tota perfectio ei restitueretur, a qua superbiendo exciderat, sed ut mens sanaretur a peccato, & Deo conjungereur, relicta infirmitate in inferioribus potentiis, tùm ad comprimendam superbiam, tùm ad exercitium virtutum, tùm ut indè excitaretur homo ad opem Medici continuò implorandam, tùm ad ostendendam virtutem auxilii divini, hominem fragilem inter tot tentationes custodientis, tùm deniquè ut conformaremur Christo, qui per actus virtutum, & passionem ad gloriam corporis pervenit. Ex parte termini: Terminus gratiæ primi statûs fuit imago Dei homini perfectè impressa, in quantùm patiebatur status viatoris: undè statim profundebat omnes perfectiones statui viatoris non repugnantes, nulla dispositione ex parte subjecti requisita. Terminus autèm gratiæ Christi est hanc imaginem deturpatam concurrentibus hominis actibus reparare: sicque non conveniebat, ut tota perfectio hujus imaginis simùl redderetur, sed successivè per actus virtutum repararetur.

His omnibus de causis gratia primi statûs dicitur gratia naturæ; non quòd naturæ deberetur, sed quia, ut dixi, data fuit naturæ in ejus institutione, & cum natura atque ratione naturæ, personis communicanda, tanquàm dos naturæ ex singulari Creatoris beneficio illi collata: Eadem ratione dicitur justitia originalis. Gratia verò hujus statûs non potest dici gratia naturæ, neque justitia originalis; quin primò per se respicit personam, & ratione personæ naturam, neque datur, & accipitur cum natura, sed per actus proprios, iis scilicèt, qui conjunguntur Christo per fidem, bona opera, & susceptionem Sacramentorum.

### §. IV. *Status naturæ lapsæ.*

De statu naturæ lapsæ plura dixi, dum de peccato originali, nempè naturam humanam per peccatum Adæ spoliatam fuisse gratia sanctificante, virtutibus ei annexis, & dono integritatis, impassibilitate, immortalitate, & exemptione ab ignorantia, & concupiscentia. Neque solùm his donis gratuitis fuisse spoliatam, sed etiàm in naturalibus fuisse vulneratam, & quatuor esse ejus vulnera, scilicèt ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, concupiscentiam in appetitu concupiscibili, infirmitatem in irascibili. De quo iterùm infrà.

Hujus miseri statûs, juxta SS. Patres, typum habemus Luc. 10. in Parabola hominis, qui descendens *ab Jerusalem in Jericho incidit in latrones, qui despoliaverunt eum, & plagis impositis abierunt, semivivo relicto.* Cujus hæc est interpretatio: *Homo quidam*, Adam, seu genus humanum *descendebat ab Jerusalem in Jericho*, exulabat e Paradiso, seu loco pacis in miserias, ac defectus hujus mortalitatis: *incidit in latrones*, peccatum subjecit hominem potestati dæmonum: *qui despoliaverunt eum*, per peccatum fuit spoliatus gratuitis; *plagis impositis abierunt*, & vulneratus in naturalibus: *semivivo relicto*, quia anima manente immortali corpus factum est mortale, vel quia libertas arbitrii per peccatum fuit imminuta, non omninò extincta.

### §. V. *Status naturæ reparatæ.*

Hic status variis nominibus exprimitur in Scriptura. Luc. 1. 1. Tim. 2. Joann. 8. dicitur *Redemptio*, & *liberatio*, scilicèt a captivitate diaboli, & peccati. Ephes. 2. dicitur *Resuscitatio*, & *vivificatio*. 2. Petr. 2. *Sanatio*. 2. Cor. 5. *Reconciliatio*, & *renovatio*. Quæ expressiones supponunt generalem ruinam naturæ humanæ. Convenit iste status cum statu innocentiæ in hoc, quòd uterque tendat ad eumdem terminum, scilicèt Beatitudinem supernaturalem, & quòd in utroque principium meriti sit gratia sanctificans, eadem quoad substantiam, ut diximus.

Sed longè pluribus titulis differunt. 1. Differunt ex parte finis. Finis remotus, *cujus gratia*, statûs innocentiæ fuit manifestatio liberalitatis divinæ; status autèm naturæ lapsæ manifestatio misericordiæ. Undè in isto major fuit charitas: quia major est charitas inimicis benefacere: fuit etiàm majus beneficium in ratione beneficii, utpotè indigno collatum, imò, & majus donum, nempè Unigenitus Dei Filius: *sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Joann. 3. undè canit Ecclesia: *Felix culpa, quæ tantum meruit habere reparatorem.* Finis, *cujus gratia*, proximus statûs innocentiæ fuit imago Dei Creatoris homini, in quantum status hujus conditio patiebatur, imprimenda, juxta illud Genes. 1. *Ad imaginem Dei creavit illum.* Finis proximus, *cujus gratia*, statûs naturæ reparatæ est imago Christi reparatoris homini similitèr, in quantum puri hominis conditio permittit, imprimenda; juxtà illud Rom. 8. *Quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Finis *cui* statûs innocentiæ erat ipse homo exornandus, & glorificandus. Finis *cui* statûs naturæ reparatæ est ipse Christus, ad cujus gloriam omnia illius statûs referuntur, ut dicemus de Incarnatione.

Ex parte causæ efficientis differunt isti status: Quia, quamvis utriusque Deus sit causa efficiens, diverso tamèn modo. Est enim causa efficiens statûs innocentiæ immediatè, statûs naturæ reparatæ per Christum, ità ut Christus sit, & causa moralis reparationis, quam sua passione nobis promeruit, & causa efficiens physica, principalis quidèm ratione divinitatis, instrumentalis ratione humanitatis. Et hinc causa gratiæ in statu innocentiæ erat naturæ extrinseca; in statu reparationis est ipsi intrinseca, nimirùm Verbum caro factum: ideoque fœdus inter Deum, & naturam in primo statu fuit temporale, & transitorium, in statu reparationis est æternum, & indissolubile ratione unionis hypostaticæ, juxtà illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia, & in judicio, & in misericordia, & miserationibus, & sponsabo te mihi in fide.*

Differunt iterùm ex parte subjecti, seu causæ materialis. Subjectum statûs naturæ innocentis erat natura innocens, non habens quidèm jus ad dona gratuita istius, sed nihil habens, quod ipsi repugnaret. Subjectum autèm naturæ reparatæ est natura peccato infecta, quamvis gratia indigna: undè in priori statu erat tantùm donis gratuitis ornanda, in altero priùs sananda, deindè exornanda. Et hinc aliud discrimen, quòd natura innoceus, utpotè sana, & robusta, esset secundùm se longè habilior ad bonum faciendum, & in eo perseverandum. At verò natura reparata, cùm sit adhùc ex parte infirma, & variis hostibus, & tentationibus vexata, diù in bono permanere non posset, nisi potentiori auxilio adjuvaretur.

Tandèm, quantùm ad causam formalem utriusque statûs, scilicèt gratiam, varia discrimina recensuimus, dùm de statu naturæ innocentis, inter gratiam sanctificantem utriusque statûs. De gratia actuali dicemus infrà.

Circa hos igitùr status occurrunt tres gravissimæ difficultates in Scholis magna contentione agitatæ. 1. Utrùm status naturæ puræ sit possibilis? 2. Utrùm homo in statu naturæ lapsæ habeat minores vires ad bonum, quàm habuisset in statu naturæ puræ. 3. An homo in statu innocentiæ indiguerit auxilio efficaci, seu auxilio quo, ad faciendum bonum, & in eo perseverandum. Has tres quæstiones 3. articulis seq. discutiemus. Undè sit

## ARTICULUS II.

### *Utrùm Status naturæ puræ fuerit possibilis?*

In primis hùc revocanda sunt, quæ initio præcedentis art. diximus pertinere ad statum naturæ puræ. Hunc nunquàm extitisse ibidèm asseruimus, & totus fuit Aug. ut ejus existentiam in Adamo impugnaret adversùs Pelagianos. Quæstio est igitùr de ejus possibilitate. Jansenius Tom. 2. tribus libris integris contendit esse absolutè impossibilem, & justitiam originalem cum dono integritatis fuisse naturalem in Adamo, non solùm hoc sensu, quòd illi cum natura collata sit, aut quòd naturæ sic consentanea, neque tamèn etiàm hoc sensu, quòd ipsa sit naturæ humanæ essentia, aut proprietas; sed hoc sensu, quòd rationi, æquitati, & ordini providentiæ ità sit consentanea, ut homo non potuerit sine illa in statu naturæ puræ creari absquè læsione bonitatis, justitiæ, sapientiæ divinæ, & recti ordinis providentiæ. Jansenio præiverant Lutherus in c. 3. Genes. Calvinus l. 1. Institut. c. 15. & l. 2. c. 1. & Bajus in propositionibus damnatis.

Quidam Theologi, præscindentes omnipotentiam divinam a cæteris attributis, dicunt statum naturæ puræ, attenta divina omnipotentia sic præcisa, esse possibilem; attenta autèm divina omnipotentia ut conjuncta divinæ sapientiæ, bonitati, & justitiæ, non esse possibilem. Verùm hæc metaphysica præcisio videtur futilis, & absona; quod enim est contrà Dei sapientiam, bonitatem, justitiam, aut quodvis aliud ejus attributum, debet censeri simplicitèr, & absolutè impossibile; Deus enim, ut ait Apost. 2. Tim. 2. *Seipsum negare non potest*, neque facere, quòd repugnat divinis suis perfectionibus: *Nihil potest esse in potentia divina*, inquit Auctor (1. *pars quæst.* 25. *art.* 5. *ad* 1.), *quod non possit esse in voluntate justa ipsius, & in intellectu sapiente ejus.* Alii distinguunt inter potentiam Dei extraordinariam, & ordinariam; & dicunt, statum naturæ puræ esse possibilem de potentia Dei extraordinaria, non de potentia Dei ordinaria; aliis contendentibus esse possibilem etiam de potentia Dei ordinaria. Sed hanc discordiam videri de nomine ex diversa intelligentia hujus vocis *potentia ordinaria*, ostendam infrà.

Communis sententia est, statum naturæ puræ esse simplicitèr possibilem. Undè

Dico: Fuit simplicitèr possibile Deo creare hominem in statu naturæ puræ, scilicèt sine peccato, & sine gratia, atque dono integritatis, obnoxium morti, ignorantiæ, & concupiscentiæ. Tota conclusio est contrà Jansenium, & ejus sequaces. Ex parte contrà Estium, Herreram, & quosdam alios Theologos, qui admittunt quidèm Deum potuisse creare hominem sine gratia sanctificante, & sine dono immortalitatis, non tamèn sine dono integritatis excludente concupiscentiam. Prob. 1. ex Aug. qui l. 3. de lib. arbitr. c. 20. disputans contrà Manichæos, qui admittebant duo externa principia, unum bonum, alterum malum, & istud vituperabant proptèr ignorantiam, & difficultatem benè vivendi ex concupiscentia, quas patimur, supponit 4. modos, quibus animæ produci possint, & corporibus communicari. Primus est, si omnes animæ ex una anima peccatrice via seminali traducerentur. Secundus, si singulis corporibus singulæ animæ per creationem infunderentur. In hoc modo Aug. non supponit peccatum, ut patebit mòx ex ejus verbis, & hæc est hypothesis de possibilitate naturæ puræ. Tertius, si omnes animæ in aliquo loco priùs existentes mitterentur a Deo ad informanda corpora. Quartus, si sponte sua in hæc corpora dilabantur. Quis autèm ex his modis sit verus, non audet definire Aug. cap. seq. 21.

Igitùr c. 20. loquens de secunda hypothesi dicit: *Si ergo altera* (anima) *talis esse cœpit, non solùm antè peccatum, sed antè omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet, undè conditori suo gratias agat, quia ipse ortus ejus, et inchoatio quovis perfecto corpore est melior: non enim mediocria bona sunt, non solùm quòd anima est, qua natura jam omne corpus præcedit, sed etiàm quòd facultatem habet, ut, adjuvante Creatore, seipsam excolat, et pio studio possit omnes acquirere, et capere virtutes, per quas, et a difficultate cruciante, & ab ignorantia cœcante liberetur. Quod si ità est, non erit nascentibus animis ignorantia, et difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, et perfectionis exordium. Non enim antè omne meritum boni operis parum est accepisse naturale judicium, quo sapientiam præponat errori, et quietem difficultati, ut ad hæc, non nascendo, sed studendo perveniat.* Priùs dixerat: *Quid enim indignum, si etiàm sic voluit Creator ostendere usquè adeò excellere creaturis corporeis animæ dignitatem, ut ab eo gradu possit esse ortus alterius, ad quem alterius perductus est occasus.*

Hoc autem testimonium eò est efficacius, quòd S. Doctor jam senex factus illud repetat, & approbet l. 1. Retract. c. 9. *Ad miseriam*, inquit, *justæ damnationis pertinet ignorantia, et difficultas...quamvis etiàm, si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset, sicùt in eodem l.* 3. (nempè de lib. arbitr.) *disputavimus.* Et morti proximus iterùm sic confirmat libr. de dono persever. c. 11. *Etiamsi verum esset, ignorantiam, et difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia, esse naturæ, vincerentur tamèn Manichæi.* Id est, non propterea Auctor naturæ esset culpandus.

Ex his evidens est, Aug. agnoscere Deum absquè ullo suæ bonitatis, & justitiæ præjudicio potuisse creare hominem in statu naturæ puræ, obnoxium ignorantiæ, & difficultati ad bonum, sub qua comprehenditur concupiscentia, & infirmitas, ut notat S. Thom. (1. 2. *quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 5.) idque nunquàm retractasse, ut quidam fingunt, sed in ea sententia usquè ad finem vitæ perseverasse. Cùm autèm alii defectus minùs repugnent, a fortiori potuit homo creari cum illis.

Respondent Adversarii post Jansenium, hypothesim Aug. de qua loquimur, supponere peccatum, & gratiam, consequentèr non esse hypothesim naturæ puræ. Supponit peccatum, quia ibid. paulò antè dixerat Aug. *ut malum meritum prioris sit natura sequentis.* Supponit gratiam, quia dicit illam animam pio studio acquirere posse omnes virtutes, per quas *& a difficultate cruciante & ab ignorantia cœcante liberetur.* Sed contrà: Primum apertè contradicit verbis Aug. dicit enim, *antè peccatum*, & supponit hanc ignorantiam, & difficultatem esse *primordia naturalia, non supplicia peccati.* Si verò supponerent pec-

peccatum, jam non forent primordia naturalia, sed peccati suppliciа. Itèm supponit ortum hujus animæ fore ab eo gradu, ad quem alterius animæ peccatricis occasus est perductus; si autèm supponeret peccatum, utrobiquè foret occasus. Quantùm ad verba, quæ objiciuntur, istud malum meritum, de quo loquitur Aug. non est peccatum, sed pœna peccati, seu mali meriti; & sensus est: si ignorantia, & difficultas, quæ est in una anima pœna peccati, foret alteri naturalis, non ideò esset aliquid perversum, nec Deus esset culpandus. Patet legenti textum integrum Aug.

Si dicas: saltèm corpus, seu caro, cui per creationem infunderetur anima ista, esset seminalitèr ex Adamo peccatore. Dicit enim Aug. paulò post: *Caro de propagine veniens peccatoris, venientibus ad se animis, hanc ignorantiam, & difficultatem facit.* Nihil autèm repugnat, proptèr Adamum peccatorem ejus prolem pœna ignorantiæ, & concupiscentiæ affligi. R. Aug. in 2. hypothesi, in qua fundatur nostrum argumentum, abstrahere, undè sit caro; quæ autèm afferunt ex ipso, pertinent ad tertiam hypothesim, de qua non est hìc quæstio.

Quantùm ad 2. Quæ objiciuntur ex Aug. non important gratiam ordinis supernaturalis, & propriè dictam, sed auxilium ordinis naturalis: Homo enim in natura pura per auxilia ordinis naturalis, & suo statui congrua posset acquirere virtutes morales, per quas ignorantiam, & concupiscentiam vinceret.

Cæterùm, ut mens Aug. clariùs percipiatur, observandum est (ut ipsemet observat de dono persev. c 11. & 12.) ipsum duplici modo processisse adversùs Manichæos: 1. Probando ignorantiam veri, & difficultatem recti supponere peccatum, & ex eo oriri, sicque in Deum non esse referendas. 2. Via ratiocinii, nimirùm, quòd, licèt forent primordia naturalia, neque peccatum supponerent, non ideò etiàm Deum esse culpandum, sed laudandum.

Procedendo 1. modo nihil dixit, quod faveret statui naturæ puræ: sed quia Manichæi non admittebant vetus Testamentum, & rejiciebant in voto omne id, undè posset probari peccatum originale, secundo modo præcipuè institit; & juxtà illum ratione probavit, estò non esset peccatum originale, atque ignorantia, & concupiscentia essent primordia naturalia, Deum nihilominùs non esse Auctorem mali, nec culpandum; cùm in hac hypothesi ignorantia, & difficultas recti forent *proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.* Cùm autèm Pelagiani status naturæ puræ assertores retorquerent in Aug. quæ dixerat contrà Manichæos: respondebat Aug. hæc ipsis non favere, quia arguerat contrà Manichæos non ex præsenti rerum statu, neque auctoritate Scripturarum, quas negabant, sed ex variis ratiociniis, & hypothesibus, quibus constabat Deum non esse auctorem mali: Pelagiani autèm, qui admittebant vetus, & novum Testamentum, ex illis, & ex præsenti rerum statu confundebantur.

Ex his patet, Aug. non arguisse contrà Manichæos ex hypothesi impossibili, ut quidam perperàm dicunt: non enim potuisset S. Doct. Hæreticos confutare ex hypothesi, quam judicasset ipsemet impossibilem; neque dicenda est hypothesis impossibilis, juxtà quam Deus non est culpandus, sed laudandus. Prob. ex S. Thom. in 2. d. 31. quæst. 1. art. 2. ad 3. ubi dicit: *Poterat Deus a principio, quandò hominem condidit, etiàm alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione suæ naturæ relinqueret, ut scilicèt mortalis, & passibilis esset, & pugnam concupiscentiæ ad rationem sentiens; in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ consequitur. Non tamèn iste defectus in eo rationem culpæ, aut pœnæ habuisset, quia non per voluntatem iste defectus causatus fuisset.* Idem docet 4. contr. Gent. c. 52. tametsi congruum existimet, attenta suavi Dei Providentia, ut homo ab illis defectibus in sui creatione per dona supernaturalia eximeretur; undè dicit ex his defectibus posse probabilitèr probari peccatum originale, quod modò magis explicabimus.

Prob. ratione. Status naturæ puræ, proùt exprimitur in Conclusione, non repugnat neque ex parte hominis; neque ex parte Dei: ergo est simplicitèr possibilis. Prob. 1. pars. Ant. 1. Neque gratia sanctificans, neque donum integritatis, & immortalitatis sunt debita naturæ humanæ secundùm se spectatæ, sed merè gratuita, & ex sola Dei liberalitate collata: ergo status naturæ ab illis dotibus puræ non repugnat ex parte hominis. Patet Conseq. quia de ratione doni indebiti, & merè liberalis est, quòd possit ad nutum dantis concedi, aut denegari, & ideò adversarii volunt naturam sine his donis non posse creari; quia putant ea illi ex quadam justitia deberi. Prob. Ant. In primis, quantùm ad gratiam propriè dictam, & supernaturalis ordinis, 1. Ex ipso nomine: si enim debita, jam non est gratia: si ordinis supernaturalis, ergo suprà totum ordinem, & debitum naturæ. 2. Quia per gratiam homo fit filius Dei adoptivus, ad Galatas 4. De ratione autèm adoptionis est, quòd qui adoptatur, non natura, nec aliquo jure, sed liberali adoptantis voluntate sit filius, & hæres. 3. Per gratiam homo fit consors divinæ naturæ, & ipsi datur Spiritus S. Rom. 1. Quis autèm, hæc naturæ humanæ esse debita, & non omninò gratuita, dicat? Undè Aug. l. 3. contrà Maximum c. 15. *Homo*, inquit, *ad similitudinem Dei factus est; tamèn quia non est unius ejusdemque substantiæ, non est verus filius, et ideò fit gratia filius, quia non est natura.* Quantùm ad donum integritatis, & immortalitatis: Prob. Non est naturæ secundùm se spectatæ debitum donum, quo eximatur a defectibus ipsius naturæ principia consequentibus, sed magis debitum est, ut iis obnoxia relinquatur, ut patet in potentia peccandi, de qua modo; atqui ignorantia, concupiscentia, passibilitas, mortalitas consequuntur ex principiis naturæ humanæ, ut docet S. Thom. 4. contr. Gent. c. 52. & nos diximus suprà in expositione statûs naturæ puræ; scilicèt, cùm corpus humanum componatur ex contrariis continuò inter se pugnantibus, connaturale esse, ut sit passibile, & corruptibile. Similitèr appetitum sensitivum in ea, quæ sunt secundùm sensum, moveri, quæ sæpè sunt contraria bono honesto, & rationis; itèm intellectum, qui ex sensibus natus est adipisci notitiam intelligibilium, difficilè ad eam pervenire, & facilè proptèr phantasmata a vero deviare. Undè Aug. l. 4. contrà Jul. c. 16. loquens de concupiscentia: *Gratia Dei*, inquit, *ibi magna erat, ubi terrenum, et animale corpus bestialem libidinem non habebat*: ergo.

Prob. 2. prima pars primi Ant. Homo conditus in puris naturalibus haberet omnia, quæ ipsi competunt naturalitèr, seu ex principiis intrinsecis, tàm in esse physico, quam in esse morali: ergo status naturæ puræ non repugnat ex parte hominis. Prob. Ant. In ordine physico homo constituitur corpore, & anima rationali cum suis proprietatibus, & potentiis tàm spiritualibus, quàm sensitivis. In ordine morali exigit habere liberum arbitrium, suum finem, & media illi proportionata cognoscere, atque per ea finem posse assequi; atqui hæc omnia haberet in statu naturæ puræ: & quidèm de principiis intrinsecè constituentibus, & proprietatibus naturalibus, atque libero arbitrio, nemo negat. De cæteris probatur: Finis proximus hominis in statu naturæ puræ foret bonum honestum, finis ultimus Deus ut Auctor naturæ, media ad illum finem consequendum actus morales boni per auxilia ordinis naturalis: hæc autèm omnia, cùm naturam non trascendant, cognosceret, nec deessent illi auxilia præfata, quibus per bonos actus morales hunc suum finem ultimum assequi posset; sicùt enim ad Providentiam Divinam pertinet unicuique rei naturali providere de mediis suo fini, ad quem creata est, proportionatis, a fortiori provideret creaturæ rationali ad imaginem suam factæ; neque sanè id posse Deum fas est negare. Si autèm posset, & indigeat creatûra rationalis in præfato statu, procùl dubio daret. Sicùt ergo in statu supernaturali elevationis dantur omnibus auxilia sufficientia ad finem supernaturalem consequendum, & quibusdam prædilectis efficacia; ità & in statu naturali darentur omnibus auxilia sufficientia ordinis naturalis, & quibusdam efficacia. Neque, ut jam notavi, ista debent censeri naturæ puræ indebita; esto enim sint indebita cuilibet individuo, sunt tamèn debita specici naturæ in aliquibus suis individuis secundùm beneplacitum Auctoris naturæ, qui etiàm hæc suæ providentiæ deberet, ne frustrà condidisset naturam humanam in ordine ad suum finem, si nullum ejus individuum illum obtineret.

Sic probata 1. parte 1. Antecedentis, spontè fluit 2. pars scilicèt statum naturæ puræ non repugnare ex parte Dei. Si enim gratia supernaturalis, donum integritatis, & immortalitatis non sunt debita naturæ humanæ, hæc dona Deus illi denegare potuit absquè læsione suæ justitiæ, bonitatis, & sapientiæ, sicùt illi denegaret, & de facto denegavit Adamo innocenti donum impeccabilitatis. Itèm, si homo in statu naturæ puræ haberet omnia, quæ ipsi competunt secundùm principia sua intrinseca, tàm in esse physico, quàm in esse morali, salvatur ordo Justitiæ divinæ, utiquè reddentis unicuique, quod ei debetur jure suæ creationis: salvatur ordo divinæ Sapientiæ, & bonitatis disponentis omnia ad suos fines: ergo.

Respondent quidam, hæc equidèm dona non deberi homini jure suæ naturæ, Deum tamèn non posse secundùm æquitatem ea denegare suæ imagini innocenti. Sed contrà 1. ex dictis Deus secundùm suam æquitatem non plus debet suæ imagini innocenti, quàm quod illi competit jure suæ creationis in ratione imaginis; atqui, ut probavimus, ista dona non debet homini imagini suæ jure suæ creationis: ergo 2. & validè confirmatur Conclusio: Peccatum, & potentia peccandi magis repugnant dignitati imaginis Dei, quàm concupiscentia, ignorantia, & alii defectus naturales; atqui tamèn Deus il-



illæsa æquitate non abstulit ab homine innocente potentiam peccandi, & ipsum peccatum prævisum non impedivit, cùm utrumque facillimè posset: ergo. 3. Magis repugnare videtur dignitati imaginis Dei, quòd anima rationalis innocens uniatur carni peccatrici, ex qua non solùm memoratos defectus, sed longè pejorem, scilicet maculam peccati contrahat, quàm si uniretur carni, memoratis quidèm defectibus obnoxiæ, sed a labe peccati puræ; atqui Deus absquè iniquitate primum præstat, cùm facillimè posset alitèr; ergo a fortiori potuit sine iniquitate secundum. In hoc ergo peccant adversarii, quòd æstiment æquitatem Dei ex infirma, & limitata ratione humana, cùm æstimari debeat ex ipsa divina voluntate, & id omne sit justum, quod Deus vult; neque, si aliùd voluisset, fuisset injustum.

Prob. tandèm ex pluribus propositionibus damnatis in Bajo a SS. Pontificibus S. Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. 1. *Humanæ naturæ sublimatio, et exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis, et proindè naturalis dicenda est, non supernaturalis*: est 21. inter damnatas. 2. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*: est 26. 3. *Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nascitur*; excepto scilicèt peccato: est 55. 4. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio*: est 78. 5. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse a Deo creari et institui sine justitia naturali*: est 79. Adde hanc Quesnelli damnatam a Clemente XI. *Gratia Adami est sequela creationis, et erat debita naturæ sanæ et integræ*: est 35.

Respondent adversarii, non omnes propositiones Baji esse damnatas ut falsas, sed esse damnatas tantùm. *Ut hæreticas, suspectas, temerarias, scandalosas, et in pias aures offensionem immittentes respectivè*; *Pium V. in Bulla declarasse nonnullas aliquo pacto sustineri posse*, & tandèm Suarem ac Vasquesium docere ex ore Toleti, qui hac de re missus fuit Lovanium a Gregorio XIII. quique probè noverat mentem SS. Pontificis, aliquas esse damnatas solùm proptèr acerbitatem censuræ, & quoad doctrinam posse sustineri ut veras. Sed contrà 1. datò nonnullas posse aliquo pacto sustineri, quatenùs nimirùm sunt dumtaxàt damnatæ proptèr acerbitatem censuræ, ut dicunt laudati Theologi, eæ, quas retulimus, excepta ultima, non sunt hujus speciei, cùm nullam contineant censuram. 2. Ambæ Facultates Theologicæ, Lovaniensis, & Duacena, in suis declarationibus tùnc temporis datis censuerunt omnes esse damnatas ut falsas, & omnibus contradictorias ut veras apposuerunt. Apùd Steyartium in annotat. ad propositiones damnatas pag. mihi 160. & sequentibus.

Contendit laudatus Steyartius p. 154. & sequentibus, nullam propositionem ab Ecclesia damnari, nisi quæ sit falsa, & hanc falsitatem supponi, cùm damnatur, ut vel temeraria, vel scandalosa, vel suspecta; hoc enim ultimum, inquit, intelligitur de graviore falsitate. Quòd si aliquandò quædàm damnatur expressè ut falsa, ideò est quia sola falsitate peccat: & quæ damnantur proptèr acerbitatem censuræ tantùm, licèt quoad doctrinam, quam continent, sint veræ, censura tamèn, quæ est illarum pars, est falsa, & sic ipsæ sunt falsæ, & ut tales damnatæ. Potior ejus ratio est, quia alioquin ex condemnatione propositionum, sic *respectivè* damnatarum, quales sunt propositiones Wicleff, Joannis Hus, Lutheri, Molinos, & plurimæ aliæ tàm laxiores, quàm strictiores, nullum posset desumi argumentum ad asserendam veritatem oppositam; statim enim respondebitur propositionem non esse damnatam ut falsam, sed tantùm, ut vel temerariam, vel offensivam, vel scandalosam; quod est magnum inconveniens in Scholis Catholicis, imò in Ecclesia. Hæc fateor, ratio non est contemnenda.

Juxtà igitùr hanc Steyartii sententiam, quam Lectoris judicio permitto, dicendum, quòd quamvis doctrina propositionum Baji, quæ continent censuram, proptèr quam sunt damnatæ, possint, sepposita censura, sustineri (quo verisimilitèr sensu dixit Pontifex nonnullas aliquo pacto posse sustineri) omnes aliæ, quæ simplicitèr, & absquè censura efferuntur, sint falsæ quoad doctrinam, & nullo pacto possint sustineri, cujusmodi sunt omnes propositiones, de quibus hìc est quæstio, excepta ultima. Et reverà, ut dixi, utraque Facultas, Lovaniensis, & Duacena, censuit omnes esse damnatas ut falsas.

Respondent alitèr Theologi Catholici, qui negant tantùm secundùm quid possibilitatem naturæ puræ, id est, qui admittunt hominem potuisse quidèm creari sine gratia, & sine immortalitate, non tamèn sine immunitate a concupiscentia. Dicunt enim, has propositiones esse damnatas in sensu Baji, qui contendebat hominem non posse creari non solum sine immunitate a concupiscentia, sed etiàm sine gratia, & immortalitate, hasque dotes esse naturæ innocenti naturales, & debitas, quas dotes involvunt propositiones damnatæ. Equidèm fateor, quosdam, inter quos noster Gonet, hac ratione excusare a censura laudatos Theologos. Alii tamèn urgent hanc propositionem Baji damnatam: *Deus non potuisset ab initio creare hominem, qualis nùnc nascitur*: itèm hanc: *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio*: quæ si damnatæ sint ut falsæ, earum contradictoriæ sunt veræ, hæ scilicèt *Deus potuisset ab initio creare hominem, qualis nùnc nascitur*, excepto peccato; non potest enim nisi absurdè alitèr intelligi. Nascitur autèm nùnc homo non solùm sine gratia, sed etiàm obnoxius concupiscentiæ: &, *integritas primæ conditionis fuit indebita naturæ exaltatio, non naturalis ejus conditio.* Integritas autèm naturæ 1. per se importat immunitatem a concupiscentia, & potuisset Deus naturam integram creare sine gratia sanctificante, ut diximus suprà. Sed, quidquid sit de Theologis orthodoxis, currit saltèm probatio contra Bajum, Jansenium, & Jansenianos.

Restat discutere, qua potentia Deus potuerit creare hominem in statu naturæ puræ: àn extraordinaria, àn ordinaria? Id autèm pendet ex diversa acceptione potentiæ ordinariæ, & extraordinariæ. Jàm dixi initio articuli, non debere dici potentiam extraordinariam, qua sola attenta, & ab aliis divinis attributis præcisa, posset Deus aliquid facere, quod esset suis perfectionibus contrarium, ut omnes Beatos in infernum detrudere, aut omnes diabolos in cœlo beare: hujusmodi enim præcisio in Deo est chymerica, & absurda, ut probatum est. Neque negavit Jansenius, statum naturæ puræ esse possibilem secundùm hujusmodi potentiam, sed quia repugnat justitiæ & sapientiæ Dei. Alitèr ergo intelligenda est potentia Dei extraordinaria, & ordinaria.

Quidam intelligunt potentiam ordinariam illam, qua Deus non nisi effectus naturæ rerum proportionatos, & illi naturalitèr debitos producit: extraordinariam illam, qua effectus miraculosos, & supèr vires ac exigentiam naturæ producit. Juxtà hanc intelligentiam dicendum est, quòd status naturæ puræ fuit possibilis de potentia Dei ordinaria; quia supponitur in illo omnia fore connaturalia, & nihil miraculosum, ut explicuimus.

Alii intelligunt potentiam extraordinariam illam, qua Deus potest multa facere, quæ tamèn decrevit non facere, & quæ consequentèr non subjacent ordini præsentis providentiæ, hoc est ordinis, quem ipse statuit in rebus perducendis ad fines, quos ipse sibi proposuit. Vocant potentiam ordinariam illam, qua Deus exequitur, quod ipse facere decrevit, & ità videtur sentire S. Thom. 1. part. quæst. 25. art. 5. ad 1. dicens: *Quod autèm attribuitur potentiæ divinæ secundùm quod exequitur imperium voluntatis justæ, hoc dicitur Deus facere de potentia ordinaria.* Juxtà hanc intelligentiam dicendum est, Deum non potuisse creare hominem in statu naturæ puræ potentia ordinaria, sed extraordinaria tantùm; quia supposito ordine, quem Deus statuit in rebus, elevatione scilicèt creaturæ rationalis ad finem supernaturalem ex singulari benevolentia, iste status non subjacet præsenti providentiæ, sed mansit in sua possibilitate; modò tamèn in ea sententia omninò concedatur, quòd Deus plenè & sine ullo suorum attributorum præjudicio potuerit alterum rerum ordinem statuere, & juxta illum creare hominem in statu naturæ puræ.

Quod ut meliùs intelligatur, observandum est hoc esse discrimen inter nostram & Dei voluntatem, quòd voluntas divina efficiat bonum, justum, conveniens omne quod vult; quia ipsa est prima, & suprema regula totius bonitatis, justitiæ, & convenientiæ; nostra e contrà supponat in rebus bonitatem, justitiam, & convenientiam, quibus debet conformari: *Poterat Deus....*inquit August. Serm. 126. c. 3. *facere quidquid vellet, judicare ut vellet, & hoc quod vellet ipsa justitia est.* Et S. Thom. 1. part. quæst. 21. art. 1. ad 2. *Quod secundùm suam voluntatem Deus facit, justè facit: & nos quod secundùm legem faciamus, justè faciamus.* Ibid. quæst. 25. art. 5. ad 2. *Falsum est, quod dicitur: Deus non potest facere, nisi quod modò conveniens est, & justum*: quia, si voluisset aliud, fecisset conveniens, & justum. Quod ergo Deus tantam creaturæ rationali benevolentiam impenderet, ut illam ad finem supernaturalem crearet, huncque, qui nùnc est, rerum ordinem potiùs quàm aliud instituerit, non fuit ex ipsa rerum convenientia, seu exigentia, sed ex libera, & gratuita ejus voluntate; consequentèr poterat alium instituere, secundùm quem conveniens fuisset creare hominem in statu naturæ puræ, ut manifestaretur, quid natura præcisè suis viribus posset, aut ob alios fines sibi notos: sicùt etiamnùm liberum arbitrium creatum est cum suo defectibilitatis defectu, qui omnium maximus est. Igitùr non ideò Deus noluit creare hominem in statu naturæ puræ, quia id non fuisset conveniens; sed non fuit conveniens, quia Deus volens ex singulari benevolentia creare hominem in ordine ad finem supernaturalem, conveniens erat, ut illi ad suum finem subministraret media incompossibilia cum statu na-

naturæ puræ, sicque hæc convenientia est prorsùs a divina voluntate dependens. Itaquè secundùm diversam acceptionem assignatam potentiæ ordinariæ, & extraordinariæ verè dicitur statum naturæ puræ fuisse, & non fuisse possibilem de potentia ordinaria: & sic conciliantur contrariæ sententiæ Thomistarum. Ex his maturè perpensis, & benè intellectis obviabis multis testimoniis Aug. quibus S. Doctor videtur innuere creaturam rationalem non posse sine sua culpa carere donis supernaturalibus: hæc enim testimonia intelligenda sunt secundùm præsentem rerum statum, & ordinem, non secundùm alium, quem Deus potuit instituere.

*Solvuntur Objectiones.*

IMmensus, & tædiosus forem, si omnia referrem, quæ exponit Jansenius tribus libris integris contra possibilitatem naturæ puræ. Præcipua proponam, ex quorum solutione cæterorum solutio poterit colligi. Ex triplici autèm capite potissimùm arguunt Jansenius, & ejus Discipuli. 1. Ex ordine hominis ad Deum ut ultimum finem. 2. Ex turpitudine concupiscentiæ. 3. Ex cæteris hujus vitæ miseriis.

*Ojectiones ex ordine hominis ad Deum.*

OBj. 1. Homo non potuit creari in eo statu, in quo non potuisset satiari naturalis ejus appetitus; atqui in statu naturæ puræ naturalis appetitus hominis non potuisset satiari: ergo. Major patet; tùm quia Auctor naturæ frustrà inseruisset appetitum naturalem, qui impleri, & satiari non posset: tùm quia frustratio hujusmodi appetitûs foret gravis pœna, & supplicium sine culpa; miser est enim, qui non habet quod appetit. Prob. Min. Inest homini naturalis appetitus ad claram Dei visionem; atqui iste appetitus non posset satiari in statu naturæ puræ; non enim potest obtineri clara Dei visio sine lumine gloriæ, & sine gratia supernaturali, quæ abfuissent a statu naturæ puræ: ergo. Prob. Maj. multiplicitèr, 1. ex Aug. l. 1. Confess. c. 1. *Fecisti*, inquit, *nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Et l. 3. de Trinit. c. 3. *Ad appetendam Beatitudinem natura compellit, & immortalis Creator hoc indidit.* 2. ex S. Thom. qui 1. part. quæst. 12. art. 1. & l. 3. Gentes c. 50. 51. 52. probat intellectualem substantiam posse videre Deum per essentiam, ex eo quòd *inest homini naturale desiderium cognoscendi causam, cùm intuetur effectum.* Cùmque impossibile sit (cit. c. 51.) naturale desiderium esse inane, quod esset, si non esset possibile pervenire ad divinam substantiam intelligendam (quod naturalitèr omnes mentes desiderant) necesse est dicere, quòd possibile sit substantiam Dei videri per intellectum a substantiis intellectualibus. 3. Ratione. Inest cuilibet creaturæ appetitus innatus in suum ultimum finem, & beatitudinem; atqui Deus clarè visus est ultimus finis, & beatitudo creaturæ rationalis: ergo. Hæc est summa argumenti, quod maximè extollunt adversarii.

Antè Responsionem præmittenda est distinctio duplicis appetitûs naturalis, scilicèt innati & eliciti. Appetitus innatus nihil est aliud, quàm propensio, & pondus alicujus naturæ in propriam perfectionem, omnem actum elicitum præveniens, & naturalem rei formam consequens; est communis omnibus creaturis, tàm animatis, quàm inanimatis: sic lapis habet appetitum innatum deorsùm, ignis sursùm. Appetitus elicitus est, qui sequitur formam, sensu vel intellectu apprehensam; & est duplex, inefficax, & efficax. Inefficax dicitur, quia est conditionatus, ut vellem hoc, si esset possibile; vel si sit absolutus, non tamèn sortitur efficaciam ad rei executionem. Alter dicitur efficax, quia, & est absolutus, & potest applicare media proportionata finis assecutioni. Uterque tàm innatus, quàm elicitus dicitur naturalis, sed diverso sensu. Innatus dicitur naturalis, quia est a natura, seu auctore naturæ insitus: Elicitus dicitur naturalis, quia viribus naturæ elicitur. Hoc præmisso.

R. N. Min. ad prob. D. Maj. Inest homini naturalis appetitus innatus ad claram Dei cognitionem. N. Maj. Habet enim dumtaxàt homo hujusmodi appetitum innatum ad perfectam Dei cognitionem abstractivam, quantam habere potest lumine naturali ex effectibus creatis. Naturalis appetitus elicitus, subdistinguo, appetitus elicitus inefficax, C. Efficax, N. & concessa Min. D. Conseq. ergo in statu naturæ puræ appetitus naturalis innatus hominis non potuisset satiari, N. Potuisset enim homo in hoc statu acquirere beatitudinem naturalem, ad quam habet appetitum innatum. Appetitus elicitus inefficax, C. Neque in hoc est inconveniens, sicùt non esset inconveniens, quòd non satiaretur appetitus hominis, qui conditionatè desideraret imperare toti mundo, si posset.

Ad 1. probationem ex Aug. R. S. Aug. loqui de corde elevato per gratiam, & illustrato per fidem. Cor autèm hujusmodi propendet in claram Dei visionem appetitu, non sibi innato a natura, sed indito per gratiam. Ad alium textum potest eadem solutio adhiberi; vel dicendum, S. Aug. loqui de beatitudine in communi, & formalitèr sumpta, non de speciali, quæ sit clara Dei visio.

Ad S. Thom. R. ipsum intelligere de appetitu elicito, non innato; neque de appetitu elicito efficaci, sed inefficaci. Primum patet; quia loquitur de appetitu cognoscendi causam ex cognitione effectuum: appetitus, qui sequitur ad formam apprehensam, est elicitus, non innatus, ut dictum est. Insupèr non esse homini appetitum innatum ad claram Dei visionem, docet S. Doctor pluribus in locis quæst. 22. de verit. art. 7. in 3. d. 23. quæst. 1. art. 4. quæst. 3. & ibid. ad 1. & 2. Et ratio ex ipso locis citatis est; quia non est inclinatio a natura indita ad id, quod est supèr facultatem naturæ; natura enim non inclinat nisi ad id, quod est sibi consentaneum, & commensuratum, alioquin inclinaret ad id, quod est impossibile. Neque obstat, quod S. Doctor opusc. 70. in Boëtium dicat: *Quamvis homo naturalitèr inclinetur in finem ultimum, non tamèn posest naturalitèr eum consequi, sed solùm per gratiam, & hoc est proptèr eminentiam illius statûs*; sensus enim hujus textûs est, hominem inclinari naturalitèr in finem ultimum in communi, ut scilicèt appetat esse completum in bonitate, ut loquitur loco citato de veritate. Et quia finis ultimus in communi non potest practicè obtineri nisi in aliqua re speciali, & illa res specialis, in qua consistit verus finis ultimus hominis in hoc statu, est ipsa Dei essentia clarè visa, confusè contenta in fine ultimo in communi; verè dixit S. Doctor, quòd homo non possit naturalitèr eum consequi, sed solùm per gratiam, & hoc proptèr eminentiam illius finis. Vel breviùs dici potest, per inclinationem naturalem S. Thom. non intelligere appetitum innatum, sed elicitum inefficacem, quem vocat naturalem, quia viribus naturæ elicitur; nisi velis, S. Doctorem contradictoria loqui. Secundum, scilicèt, hunc appetitum elicitum ad claram Dei visionem non esse efficacem, sed inefficacem, patet etiàm; quia non potest esse appetitus efficax in natura ad aliquem finem, nisi sit in ea natura sufficientia virtutis ad illum finem assequendum, aut saltèm naturalitèr cognoscat aliundè possibilem, & futurum. Non enim datur appetitus efficax ad impossibile, aut non possibile reputatum tale; atqui non datur in natura sufficientia virtutis ad claram Dei visionem assequendam, nec naturalitèr cognoscitur possibilis, & futura: *Nam oculus non vidit*, inquit Apost. 1. Cor. 2. *nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

Neque dicas, animam separatam appetere efficacitèr reunionem ad suum corpus, ad quam tamèn non est virtus sufficiens in natura. Nàm 1. Dato assumpto, vel anima separata lumine fidei cognoscit hanc reunionem esse possibilem, & futuram, & sic est disparitas; vel orbata lumine fidei hanc reunionem possibilem, & futuram non agnoscit, & tùnc appetitus ejus ad illam non potest esse nisi inefficax. 2. Alii negant assumptum, & dicunt statum separationis esse connaturalem animæ, sicùt statum unionis, proindèque secundùm se spectatam non appetere reunionem. Cùm enim, inquiunt, anima sit media inter substantias purè spirituales, & formas corporeas, participat aliquid de utroque extremo: undè, sicùt formæ puræ immateriales, ut Angeli, subsistunt connaturalitèr sine appetitu unionis cum corpore, & formæ materiales sint connaturalitèr sine appetitu separationis; ità anima rationalis habet connaturalitèr duplicem statum, scilicèt unionis cum corpore, in quo non appetit ex se separationem; & separationis, in quo non appetit ex se, & suis naturalibus unionem. Ità noster Gonet.

Inst. Dato S. Thom. loqui de appetitu naturali elicito, saltèm intelligit efficacem: ergo. Prob. Ant. Ex illo appetitu probat possibilitatem visionis beaticæ; atqui hæc possibilitas non potest probari ex appetitu inefficaci, datur enim appetitus inefficax ad impossibile: ergo. R. N. Ant. ad Prob. D. Maj. Ex illo appetitu probat demonstrativè, & efficacitèr possibilitatem visionis beaticæ, N. Maj. Certum est enim, hoc mysterium, non secùs ac alia mysteria supernaturalia, Trinitatis, Incarnationis, &c. non posse naturali demonstratione probari. Ità in terminis docet ipse S. Doct. 1. contr. Gent. c. 8. dicens: *Humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem ità se habet, quòd ad eam potest aliquas veras similitudines colligere; quæ tamèn non sufficiunt ad hoc, quòd prædicta veritas quasi demonstrativè, vel per se intellecta comprehendatur.* Et c. 1. præmiserat, quòd, cum Gentiles non admittant Sacras Scripturas, earum auctoritate cùm illis non sit procedendum, sed naturali ratione, *quæ tamèn*, inquit, *in rebus divinis defficiens est.* Ex illo appetitu probat probabilitèr, & moralitèr tantùm possibilitatem visionis beatificæ, C. Maj. Quia, cùm iste appetitus, quamvis de se inefficax, sit ità universalis, ut in omnibus etiàm sapientibus, & prudentibus reperiatur, probabile est illum non ità frustrari, ut omnes & sempèr fallantur. Ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq.



Repones: S. Thom. loquitur de appetitu, qui non potest frustrari: Dicit enim, *impossibile esse naturale desiderium videndi causam, visis effectibus, esse inane; quod esset, si non esset possibile homini pervenire ad substantiam divinam intelligendam*; atqui appetitus inefficax potest frustrari: ergo. R. D. Maj. S. Thom. loquitur de appetitu, qui non potest metaphysicè frustrari; N. Qui non potest moralitèr frustrari, C. Cùm enim, ut dixi, hujusmodi appetitus, non in uno, alterove, sed in omnibus sapientibus reperiatur, hos universalitèr in judicio uniformi, hunc appetitum regulante, falli impossibile est moralitèr, non tamèn metaphysicè; & ideo, ut dictum est, probatio S. Thom. non est demonstratio, sed congruentia.

Ad 3. probationem a Ratione, D. Maj. Inest cuilibet creaturæ appetitus ad suum ultimum finem, & beatitudinem naturalem, C. Supernaturalem, N. Ad cujus sensum D. Min. Deus clarè visus est ultimus finis, & beatitudo supernaturalis creaturæ rationalis, C. Naturalis, N. Duplex est igitùr ultimus finis, seu beatitudo hominis: una naturalis, seu conditioni naturæ commensurata, quæ consistit in perfecta conjunctione ad Deum, per cognitionem abstractivam, & affectum viribus & auxiliis naturalibus possibilem. Altera est supernaturalis, naturæ vires & jura transcendens; quæ consistit in consecutione gloriæ, & beatitudinis Deo propriæ, scilicèt in clara ejus visione cum amore & gaudio beatifico. Prima beatitudo foret ultimus finis hominis conditi in puris naturalibus; quod verò nùnc ad posteriorem ut ad ultimum finem ordinetur, fuit eximiæ gratiæ & liberalitatis divinæ, juxtà illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.*

Inst. Illa est beatitudo naturalis hominis, quæ solùm lumine naturali cognosci potest; atqui juxta Aug. l. 8. de civit. c. 8. Platonici Beatitudinem sitam esse in intuitiva Dei visione cognoverunt, utiquè solo lumine naturali, cùm essent fide destituti: ergo. Prob. Min. *Non dixerunt*, inquit S. Doct. *beatum esse hominem fruentem corpore, vel fruentem animo, sed fruentem Deo, non sicùt corpore, vel se ipso animus, aut sicùt amico amicus, sed sicùt luce oculus*; atqui Deum cognosci sicùt lux cognoscitur ab oculo, est cognosci intuitivè: ergo. R. 1. N. Min. Ad Probat. D. Min. Deum cognosci, sicùt lux cognoscitur ab oculo, est cognosci intuitivè, tò *sicùt* dicente aliquam paritatem, Transeat; tò *sicùt* dicente omnimodam paritatem, N. Non ergo in hoc Platonici faciebant paritatem, quod, sicùt lux cognoscitur intuitivè ab oculo, ita mens humana sit beata videndo Deum intuitivè: sed in hoc faciebant paritatem, quòd, sicùt lux est primarium objectum oculi, mediante qua cætera videntur, ità Deus est primarium objectum mentis humanæ, qui sua luce cætera nobis manifestat. Hunc sensum apertè innuit Aug. præced. cap. 7. his verbis: *Lumen autèm mentium esse dixerunt ad discendas omnia, eumdemque ipsum Deum, a quo facta sunt omnia.* R. 2. D. primam Maj. Illa est beatitudo naturalis hominis, quæ solo lumine naturali certò cognosci potest, C. quæ solùm probabilitèr, & conjecturaliter cognosci potest, N. ut enim dicebamus modò ex S. Thom. potest homo ex desiderio omnibus communi videndi causam, visis effectibus, probabilitèr cognoscere visionem Dei esse possibilem: & hanc conjecturalem beatitudinis cognitionem eo faciliùs habere poterant Platonici, quòd ad eam juvarentur ex commercio cum Hebræis, & lectione Sacrarum Scripturarum.

Obj. 2. & simùl inst. Homo non potest condi in eo statu, in quo non posset diligere Deum supèr omnia amore casto & gratuito; tùm quia ille est perversus, qui non diligit Deum supèr omnia; tùm quia sine amore Dei supèr omnia non potest obtineri beatitudo, etiamsi naturalis tantùm; atqui in statu naturæ puræ homo non posset diligere Deum supèr omnia: ergo. Prob. Min. Amor castus & gratuitus Dei supèr omnia est præcipuum opus gratiæ, nec nisi a Deo est, ut dicit Aug. l. 5. contr. Jul. c. 3. ergo. R. D. Maj. Homo non potest condi in eo statu, in quo non posset amare Deum super omnia, amore tàm naturali, quàm supernaturali, C. In quo non posset amare Deum supèr omnia amore supernaturali, posset autèm amore naturali, N. Ad hunc sensum distincta Min. N. Conseq. Duplex igitùr amor Dei supèr omnia distinguendus est, unus naturalis, alter supernaturalis. Primus est amor Dei ut Auctoris naturæ, ad quem sufficit virtus naturæ adjuta auxiliis ordinis naturalis, quæ non deessent in statu naturæ puræ, ut jam diximus. Alter est amor Dei ut Auctoris supernaturalis beatitudinis, & hic est opus præcipuum gratiæ. Amor enim sequitur cognitionem boni, undè divina bonitas cognita discursu naturali ut fons totius esse naturalis fundat naturalem Dei amorem; cognita autèm ut fons beatitudinis supernaturalis fundat amorem supernaturalem: *Charitas*, inquit S. Thom. 1. 2. quæst. 109. art. 3. *Diligit Deum supèr omnia eminentiùs quàm natura, natura enim diligit eum supèr omnia prout est principium & finis naturalis boni, charitas autèm secundùm quòd est objectum beatitudinis, & secundùm quòd homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo*, fundatam scilicèt in communicatione boni supernaturalis. Vide insupèr 2. 2. quæst. 26. art. 3. & in cap. 31. 1. Cor. Lect. 4. Hunc duplicem amorem distinguunt etiam SS. Pontifices, S. Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. damnantes sequentes propositiones in Bajo: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicèt, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Glorificator, vana est & commentitia*: est 34. *Amor naturalis Dei, scilicèt qui ex viribus naturæ oritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus*: est 35. Et ne dicas, esse damnatas proptèr acerbitatem Censuræ, attende ad sequentem, in qua nulla est Censura: *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa, Deus amatur*: est 38. ergo prætèr amorem Dei supernaturalem datur alius amor Dei, qui non est vitiosa cupiditas, nimirùm dilectio ejus naturalis. Vide, si lubet apùd Gonet. Disp. 6. art. 2. §. 1. eamdem distinctionem fundatam in Scripturis, Patribus, & Conciliis, contrà vanos clamores Jansenii & Jansenianorum

Ad Aug. R. 1. juxtà solutionem datam, amorem naturalem Dei supèr omnia fore etiàm a Deo in statu naturæ puræ per auxilia ordinis naturalis. R. 2. Aug. loqui de homine in hoc statu naturæ corruptæ, qui, ut dicemus infra, non potest sine gratia Christi efficacitèr diligere Deum supèr omnia.

Inst. 1. Homo in statu naturæ puræ non posset servare omnia Dei præcepta: ergo nec ipsum diligere supèr omnia, amore saltèm efficaci. Prob. Ant. Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires naturales, quàm in hoc statu naturæ lapsæ; naturalia enim manserunt integra; atqui in hoc statu naturæ lapsæ non potest sine auxilio gratiæ servare omnia Dei præcepta, etiàm naturalia: ergo. R. posset in primis negari, seu distingui consequens, illud concedendo de amore efficaci effectivè, & ex parte subjecti, & negando de amore efficaci affectivè & ex parte actûs. Sed de hac distinctione alibi; & aliundè, ea non obstante, urgeret instantia, necessarium esse ad beatitudinem consequendam amorem efficacem effectivè, seu qui importet effectivam observationem omnium mandatorum. Undè N. Ant. Ad probat. D. Ant. Homo in statu naturæ puræ non haberet majores vires entitativè & intrinsecè, quàm habeat in hoc statu, Transeat: Non haberet majores vires entitativè, nec minora impedimenta bonæ actionis, quam in hoc statu, N. Esto igitùr vires naturales entitativè, & quoad substantiam non esse imminutas in hoc statu naturæ lapsæ; attamèn ex peccati corruptione plurima saltèm provenerunt impedimenta ad bonum virtutis etiàm naturalis, quæ non fuissent in statu naturæ puræ. Undè in hoc præsenti statu vires hominis sunt minùs habiles ad observanda præcepta etiàm naturalia, proptèr quod indiget gratia sanante. Sed de hoc art. seq.

Inst. 2. Homo in statu naturæ puræ secundum nos non haberet partem inferiorem perfectè subordinatam superiori, & pateretur rebellionem carnis adversùs spiritum; atqui ex hac continua rebellione, quæ præceps ruit in peccatum, non posset observare omnia mandata: ergo. R. dato in statu naturæ puræ parem fore rebellionem carnis ac in hoc statu, adessent auxilia ordinis naturalis ad eam vincendam, omnibus quidem sufficientia, aliquibus præordinatis efficacia: & licèt ista forent specialia, & indebita singulis individuis, forent tamèn debita naturæ pro aliquibus, aut saltèm Deus ea deberet suæ ptovidentiæ, ne in vanum naturam condidisset ad finem, quem nullum ejus individuum consequeretur, ut non jam semèl observavimus.

Obj. 3. Non decet divinam bonitatem & æquitatem, ut condat imaginem suam innocentem in eo statu, in quo perpetuò exularet a suo Regno & visione; atqui, si conderetur homo in statu naturæ puræ, exularet perpetuò innocens a Regno & visione Dei, ad quod perveniri non potest sine gratia: ergo, esto gratia non debeatur naturæ, id tamèn sibi debet divina bonitas & æquitas, ut eam non denegetur homini innocenti. Prob. Maj. ex Aug. qui passim probat contrà Pelagianos, dari peccatum originale, quia infantes sine Baptismo decedentes, fatentibus ipsis Pelagianis, excluduntur a Regno; quod non deceret divinam bonitatem & æquitatem, si essent innocentes & sine peccato: ergo. R. N. Maj. Imò, si attenderemus divinam justitiam, ei congruebat, ut homo in puris naturalibus conderetur, quia divina Justitia, dùm agit secundùm justitiæ ordinem, unicuique præcisè tribuit, quod ejus na-

naturæ congruit, ut anteà diximus, defectusque permittit, secundum quòd exigit rerum conditio; & si quid supèr conditionem natiræ erogat, id meræ liberalitatis est. Ad probationem dico, Aug. procedere contrà Pelagianos secundum præsentem ordinem elevationis naturæ humanæ ad finem supernaturalem, quem Pelagiani, Scripturam admittentes, negare non poterant. Hoc autèm supposito rerum statu, bene probat Aug. ex eo, quòd parvuli decedentes sine Baptismo exulant a Regno, eos non esse innocentes, sed obnoxios peccato originali, eamque exclusionem habere in eis rationem pœnæ & miseriæ, quæ in statu naturæ puræ haberet tantùm rationem carentiæ boni indebiti. Sicùt, si Aulicus propièr culpam excludatur ab Aula, ad quam ex benevolentia Regis fuerat admissus, est ipsi pœna & exilium. At, quòd rusticus ad eam non admittatur, non est ipsi pœna & miseria, sed tantùm carentia boni indebiti.

Inst. Licèt gratia sufficiens in hoc statu sit donum supernaturale, eam tamèn Deus ex æquitate, & sapientia secundum nos denegare non potest homini: ergo paritèr homini innocenti. R. N. Conseq. Disparitas est, quòd gratia sufficiens debeatur homini in hoc statu ex hypothesi, quòd Deus elevaverit ipsum ad finem supernaturalem, & ei imposuerit præcepta supernaturalia: in hac enim hypothesi ejus sapientiæ, & æquitatis est illi providere de mediis ad hæc sufficientibus. At, si deberetur gratia homini in statu naturæ puræ, deberetur absolutè, & non ex hypothesi elevationis ad finem supernaturalem, & præcepti supernaturalis.

Obj. 4. Non potest homo condi in eo statu, in quo nequidèm naturalem suam beatitudinem assequi posset; atqui homo in statu naturæ puræ non posset assequi naturalem suam beatitudinem: ergo. Prob. Min. Homo non est beatus beatitudine etiàm naturali, *nisi eò pervenerit*, inquit Aug. 4. de Civit. c. 25. *ubi mori, falli, offendi omninò non possit, eique certum sit ità sempèr futurum. Hoc enim natura expetit, nec plenè atque perfectè beata erit, nisi adepto quod expetit*; atqui hæc omnia non haberet homo in statu naturæ puræ: ergo. R. N. Min. ad Probat. D. Min.; atqui hæc omnia non haberet homo in statu naturæ puræ, quamdiù foret in via, C. Quandò foret in termino, N. Sicùt enim in præsenti statu homo quamdiù est in via, non est beatus supernaturalitèr, sed solùm quandò est in termino; ità paritèr homo in statu naturæ puræ, quamdiù esset in via, non fuisset beatus beatitudine naturali, sed tantùm quandò fuisset in termino: hoc est, dùm pòst consummata merita suo statui proportionata, morte interveniente, perfecta Dei cognitione abstractiva, & amore correspondente donaretur, & neque mori, neque falli, neque offendi posset, certusque esset ità sempèr futurum.

Inst. Neque in termino positus posset esse perfectè beatus beatitudine naturali: ergo. Prob. Ant. Homo non potest dici perfectè beatus, nisi sit beatus quoad animam & corpus, si enim sola anima sit beata & non corpus, imperfecta & manca est beatitudo; atqui non foret beatus quoad corpus: ergo. Prob. Ant. Resurrectio corporum in hoc statu non foret possibilis: ergo. Prob. Ant. Resurrectio corporum est supernaturalis; atqui omne supernaturale excluditur a statu naturæ puræ: ergo. R. Circà hoc argumentum esse triplicem sententiam. Quidam concèdunt, in hoc statu non fore resurrectionem corporum, ideòque hominem privatum iri aliqua perfectione accidentaria beatitudini, nempè corporis consortio & beatitudine; fore nihilominùs essentialitèr beatum, sicùt Sancti nùnc sunt beati antè resurrectionem: neque tamèn anima ideò pateretur ullam violentiam, aut pœnam ex privatione corporis, quia illam non appeteret; cùm enim, inquiunt, sit media inter substantias purè spirituales & formas corporeas, status separationis est connaturalis animæ sicùt status unionis. Vide suprà solutionem 1. objectionis circà auctoritatem D. Thom. Quòd autèm in hoc statu elevationis anima beata appetat hanc reunionem, ideò est, quia lumine supernaturali cognoscit eam esse possibilem & futuram, quod non cognosceret in statu naturæ puræ.

Alii dicunt, in hoc statu fore resurrectionem corporum, quia beatitudo est perfectio hominis, anima autèm sine corpore non est homo. Neque obstat, quod resurrectio sit supernaturalis, est enim supernaturalis quoad modum tantùm, non quoad terminum. Dupliciter igitùr aliquid dicitur supernaturale: 1. Quandò admisceat aliquid ordinis gratiæ, ut Fides, Spes, Charitas, & sic est supernaturale quoad modum & quoad terminum, & suprà totum ordinem naturæ, neque illud producitur a Deo, ut Auctore naturæ, quia ad ordinem gratiæ pertinet. 2. Dicitur supernaturale, non quòd excedat totum ordinem naturæ, & aliquid ordinis gratiæ admisceat ex parte termini, sed quia est suprà communem modum operandi naturæ & miraculosum: sic fuit statio solis ad mandatum Josuë, sanatio cæci nati, & alia similia, quæ reverà fuerunt miracula, nihil tamèn admiscuerunt ordinis gratiæ, sed pertinuerunt ad Deum ut Auctorem naturæ, non quidèm agentem secundum consuetum ordinem rebus præfixum, sed secundum ordinem singularis providentiæ, & potentiam extraordinariam. Non enim Deus ut auctor naturæ est minùs omnipotens intrà ordinem naturæ, quàm sit omnipotens intrà ordinem gratiæ. Cùm ergo Resurrectio mortuorum sit hoc secundo modo supernaturalis, nec admisceat aliquid ordinis gratiæ, nec elevet naturam suprà conditionem suam, non repugnaret in statu naturæ puræ.

Alii tandèm dicunt, quòd justus illius statùs beatificandus non moreretur; non quòd dono immortalitatis intrinsecè donaretur, sed quia post requisitam debitam, & præfixam virtutis, & meritorum naturalium mensuram Deus illum in corpore, & anima vivum transferret in locum beatitudinis a se destinatum, ibique vitam ejus in perpetuum servaret communicatis tàm naturæ, quàm corporis dotibus, & donis tali beatitudini proportionatis, in quo nihil est, quod illa ex parte repugnet. Hæ omnes sententiæ sunt probabiles; secunda nobis magis placet. Cæterùm, quamvis elegeris, habes nihil ex hoc argumento posse deduci contrà possibilitatem statùs naturæ puræ. Neque enim, cùm iste status sit tantùm possibilis, & de illo nihil revelatum habeamus in Scripturis, certò scire possumus, quid in eo fieret, quomodò Deus homines ad beatitudinem naturalem perduceret: sed hoc scimus, quòd, cùm iste status non implicet, si Deus hominem in eo produxisset, ad ejus sapientiam, & suavem providentiam pertinuisset providere de mediis necessariis pro obtinenda beatitudine, ac de ipsius beatitudinis qualitate, modo, & substantia statuere.

Obj. 5. Non potuit creari homo in statu, in quo non esset locus pœnitentiæ, & remissionis peccatorum; cùm enim fuisset in hoc statu peccabilis, debuisset posse pœnitere, & obtinere remissionem peccati; atqui non fuisset in hoc statu locus remissioni peccatorum, quippè quæ non habetur sine infusione gratiæ. R. etiàm in hoc statu futurum fuisse locum remissioni peccatorum, sive per externam condonationem, sive per aliquam qualitatem naturalem infusam, sive alio, quem voluisset Deus, modo. Quòd si pertinacitèr contendas remissionem peccati non posse fieri sine gratiæ infusione, nihil aliud probas, quàm quod homo peccando transiret a statu naturæ puræ ad statum naturæ lapsæ, & pœnitendo ad statum naturæ reparatæ, sicque statum naturæ puræ non fore stabilem & perpetuum, non tamèn esse impossibilem.

Obj. 6. Dona gratiæ & integritatis, collata Adamo, vocantur a Cœlestino I. in Ep. ad Episcopos Galliæ, ab Aug. & aliis Patribus naturalia: ergo non potuit homo creari sine illis. R. D. Ant. Vocantur naturalia, id est, collata naturæ in sua origine & creatione, C. Hoc enim sensu dicitur aliquid naturale, etiamsi sit indebitum naturæ: sic Aug. Serm. 14. de verbis Apost. vocat peccatum originale *peccatum naturæ*, seu *naturale*, sic Ephes. 2. dicimur, *natura filii iræ*. Vocantur naturalia, id est, connaturalitèr debita naturæ humanæ secundùm se spectatæ, N. Hoc enim sensu sunt omninò supernaturalia. Nullatenùs enim est homini secundum naturam debitum, quòd sit filius Dei adoptivus, consors divinæ naturæ, hæres Regni ejus & gloriæ, ut suprà arguebamus; hæc quippè transcendunt totum ordinem naturæ, & sunt suprà naturalem facultatem omnium creaturarum, ideòque sunt suprà totam naturam, consequentèr sunt, & dicuntur propriè supernaturalia.

### *Objectiones ex turpitudine Concupiscentiæ.*

ANtequàm objectiones ex hoc capite proponantur, observandum est, concupiscentiam posse sumi duplicitèr; vel in actu 1. pro ipsa potentia concupiscibili, vel in actu 2. pro ipsius potentiæ motu in bonum sensibile. Itèm utraque potest iterùm considerari duplicitèr: 1. Simplicitèr & secundum se, seu materialitèr, quatenùs est præcisè inclinatio in bonum sensibile. 2. Formalitèr & cum addito, proùt est inclinatio in bonum sensibile cum deordinatione, & repugnantia ad rationem rectam. 1. Modo sumpta est naturalis facultas & legitima inclinatio in bonum corpori proportionatum, estque a Deo, & ex ejus intentione in creatione hominis. 2. Modo sumpta est vitiosa inclinatio, quæ propriè dicitur concupiscentia & libido; non est a Deo, nec ex ejus intentione, sed defectus sequens naturam hominis ratione materiæ & subjecti, sicùt passibilitas, mortalitas, & alii defectus naturales. Cùm enim homo, ut jam observavimus, constet duplici appetitu, scilicèt sensitivo & rationali, & uterque feratur in suum objectum, sensitivus in bonum sensibile, rationalis in bonum honestum, sæpè contingit, quòd bonum sensibile appetitum sit contrarium rationi, & quòd appetitus sensitivus ex certa cor-



corporis complexione ardentiùs feratur in suum objectum. Hinc inter utrumque pugna, quæ ex parte appetitûs sensitivi est libido, & vitiosa concupiscentia. His præmissis,

Obj. Repugnat hominem creari obnoxium concupiscentiæ: ergo. Prob. Ant. Perpetuus est Aug. ut probet contrà Julianum, concupiscentiam non esse naturalem hominis proprietatem & perfectionem, sed malum ejus naturæ oppositum, & contrà eum passim urget illud 1. Joann. 2. *Concupiscentia carnis non est ex patre*: & Apostolum, qui ad Rom. 7. vocat concupiscentiam peccatum: ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Conseq. Ex hoc enim quod concupiscentia sit mala, sequitur, quòd non sit a Deo positivè & ex ejus intentione; sed non sequitur, quòd non sit defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ prætèr Dei intentionem. Sic peccatum est malum longè pejus, quàm concupiscentia, & tamèn creatur homo obnoxius peccato; quia potentia peccandi est defectus sequens ad naturam hominis ex conditione materiæ, quia scilicèt est ex nihilo. Mèritò igitùr Aug. objurgat Pelagium, qui, non solùm substantiam facultatis sensitivæ laudabat, sed ejus petulantiam, qua prorumpebat in motus inordinatos, modò illi ratio non consentiret extrà matrimonium; in hoc enim solo consensu reponebat ejus excessum, quem damnabat. Cæterùm ipsam concupiscentiam & libidinem, quam nominare non audebat, dicebat esse bonam ex genere & specie, ex igne vitali, ex calore genitali, ex motu carnali, ex delectatione, eamque laudabat ut bonum naturæ, licèt infimum, & ut donum conditoris: ipsos etiàm motus inordinatos dicebat bonos, & laudabiles naturæ igniculos, quibus homo alacriùs in quædam bona sensibilia ferretur, seque habere in natura sensitiva, sicùt ramos in arbore, qui, quamvis aliquandò luxurientur, & sint resecandi, non tamèn naturæ defectum in arbore, sed vigorem potiùs indicant. Hinc inferebat, primum hominem, quem rectum conditum agnoscebat, a Deo fuisse creatum cum ista effreni concupiscentia, qualis nùnc est. Ut autèm Aug. hæc impudentissima libidinis encomia refelleret, multis momentis probat concupiscentiam non esse donum Creatoris, neque perfectionem animæ; sed defectum & malum, non quidèm morale, seu peccatum; sed quia, ut ait S. Doctor, perturbat rationis officia, mentem avocat a delectatione sapientiæ, & voluntatem ab operatione justitiæ.

Inst. 1. Aug. contrà Juliax. sic dicebat, concupiscentiam esse malum, ut assereret esse pœnam peccati, ex eaque probabat peccatum originale; quod argumentum concidisset, si concupiscentia esset defectus naturalis: ergo. R. Aug. loqui de concupiscentia in præsenti statu, in quo homo conditus fuerat rectus, ut fatebatur Julianus; in qua hypothesi benè probat Aug. malam & effrenem concupiscentiam, quæ modò viget, supponere peccatum, cujus sit pœna & supplicium, cùm rectitudo, in qua homo fuerat conditus; eam non compateretur.

Inst. 2. Concupiscentia in statu naturæ puræ fuisset ejusdem rationis cum concupiscentia præsentis statûs: ergo, si in præsenti statu sit pœna peccati, ità fuisset in statu naturæ puræ. R. omisso Ant. N. Conseq. Quòd enim aliquis dono, quo gratis fuerat decoratus, spolietur propièr culpam, hoc est illi pœna & supplicium; secùs illi cui denegatur, quia est indebitum. Homo dono integritatis, quo immunis erat a concupiscentia, exornatus fuerat in sua creatione; propièr culpam hoc dono fuit privatus. Undè concupiscentia, quæ, hoc dono sublato, revixit, est illi pœna & supplicium. Ut in statu naturæ puræ denegatum fuisset illi hoc donum, quia erat illi indebitum; undè concupiscentia sequens ad naturam non fuisset illi pœna & supplicium.

Inst. 3. S. Thom. 1. 2. q. 82. art. 3. ad 1. dicit, *quòd, quia in homine virtus concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantùm concupiscere est naturale, in quantùm est secundum rationis ordinem: concupiscentia autèm, quæ transcendit limites rationis, inest homini contrà naturam.* Idem docet infrà q. 85. art. 3. ad 3. in 2. d. 30. q. 1. art. 1. ad 4. & q. 4. de malo art. 2. ad 1. ergo, juxtà S. Thom. concupiscentia non est defectus naturalis, sed pœna peccati. Respondent plures Thomistæ, S. Thom. loqui de natura, proùt fuit a Deo instituta in Adamo perfecta & integra, non secundum se spectata. Hæc Responsio est probabilis. Sed R. 2. & fortè probabilius, D. Ant. Concupiscere transcendens limites rationis non est naturale, sed contrà naturam, si tò *contrà naturam* sumatur comparatè ad inclinationem partis superioris, C. Quia pars superior inclinat ad bonum honestum, contrà quam inclinationem pars inferior pugnat; & quia pars superior, seu rationalis est potior in natura hominis, quod est contrà illam, propriè dicitur contrà naturam hominis. Si tò *contrà naturam* sumatur comparatè ad inclinationem partis inferioris, N. Est enim effectus sequens naturam sensitivam ex conditione materiæ.

Si dicas: S. Thom. in 2. cit. dicit, quòd *vis concupiscibilis humana habet, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis*: ergo concupiscere in homine transcendens limites rationis est contrà naturam, tò *contrà naturam* sumpto etiàm comparatè ad inclinationem partis inferioris. R. D. Ant. Vis concupiscibilis humana, formalitèr ut humana, habet, ut tendat in suum objectum secundum regimen rationis, C. Quia ut talis formalitèr est nata obedire rationi: ut animalis formalitèr, N. Quia, cùm ut humana non subdatur rationi despoticè, sed politicè tantùm, potest adhùc ut animalis rebellare contrà rationem, & hic est defectus sequens ad ejus naturam, ut animalis est.

Inst. 4. Homo non potest creari cum habitu vitioso inclinante in peccatum: ergo nec cum concupiscentia, quæ paritèr inclinat ad peccatum. R. N. Conseq. Disparitas est 1. quòd habitus vitiosus, cùm non sequeretur per accidens ex principiis naturæ, sicùt sequitur concupiscentia, esset positivè, & non tantùm permissivè a Deo; quod dici non potest. 2. Habitus vitiosus inclinat ex se determinatè in peccatum, concupiscentia verò indeterminatè tantùm & per accidens; ex se enim inclinat ad bonum sensibile, imò cum quadam subjectione ad rationem, quia nata est regi per illam; undè non habet rationem vitii, sed facultatis defectivæ, quæ non ità perfectè subjicitur rationi, quin possit ei aliquandò repugnare.

Inst. 5. In natura pura jura naturæ servarentur; atqui est contrà jus naturæ, quòd pars sensitiva repugnet rationi: ergo. Prob. Min. Pars inferior naturaliter subjicitur superiori. R. N. Min. Ad prob. D. Ant. Pars inferior naturaliter subjicitur superiori aliqualitèr & juxtà modum utriusque, C. Perfectè & omnimodè, N. Uxor enim naturaliter subjicitur viro, filius Patri, qui tamèn possunt resistere; quia ista subjectio non est despotica, quæ omnem resistendi potestatem auferat; sed politica, quæ relinquit aliquam resistendi facultatem. Subjectio despotica habet locum in iis, quæ cognitione carent, nec in se habent principium activum sui motûs, ut est pes, vel manus respectu voluntatis. Politica habet locum in iis, in quibus est aliquod principium sui motûs, nempè aliqua cognitio & aliqua libertas: sic uxor subditur viro, filius Patri, civis Principi. Cùm ergo appetitus sensitivus in homine ex conjunctione ad rationem participet aliqualem cognitionem & libertatem, licèt imperfectam, quæ sunt principium activum motuum ipsius, non est de ejus ratione, quòd menti despoticè subjiciatur, sed politicè tantùm. (1. *p. q.* 81. *art.* 3. *ad* 2.)

Inst. 6. S. Thom. pòst Philosophum 3. de anima docet, quòd appetitus superior se habet ad inferiorem, sicùt sphæra superior ad inferiorem; atqui sphæra inferior sequitur sine resistentia impulsionem & motum sphæræ superioris: ergo. R. D. Maj. Appetitus superior se habet ad inferiorem, sicùt sphæra superior ad inferiorem quoad substantiam impulsûs, C. Quoad modum, N. Equidèm, sicùt cœlum inferius natum est sequi motum superioris, ità appetitus sensitivus natus est sequi motum appetitûs rationalis, sed diversimodè. Cùm enim cœli careant cognitione, nec habeant in se principium activum sui motûs, sequuntur despoticè & necessariò motum superioris, consequentèr sine resistentia. At cùm appetitus sensitivus in homine habeat, ut diximus, aliqualem cognitionem & libertatem, & ideò principium activum sui motûs, sequitur motum superioris, non despoticè & necessariò, sed moralitèr & politicè, sicque cum facultate resistendi.

Inst. 7. Appetitus sensitivus in natura pura non foret inordinatior, quàm in brutis; atqui appetitus in brutis naturaliter subjacet regulæ; videmus enim bruta non affici motibus libidinosis nisi tempore congruo ad congressum, quo peracto, mares & fœminæ inter se castè vivunt: ergo. R. N. Ant. Disparitas petitur ex dictis: quia appetitus brutorum regitur instinctu naturali, & necessariò agit: Appetitus autèm sensitivus hominis gaudet aliqua libertate, qua potest a regula deficere, & rationi directrici resistere.

Inst. 8. In natura pura nihil foret pudendum, quia tota natura est opus Dei, & facit injuriam Deo, qui de ejus opere erubescit, ut arguit Aug. contr. Julian. l. 2. de nuptiis & concup. c. 9.; atqui concupiscentia est pudenda: ergo. R. N. Ant. In omni enim statu concupiscentia, qua animus superior vincitur a corpore, quod ei naturaliter subjicitur, est pudenda: neque tamèn ideò erubescimus de opere Dei ut est a Deo, sed de defectu, qui prætèr intentionem Dei sequitur ex conditione subjecti: sicùt, dùm erubescimus de aliqua deformitate, vel de naturæ necessitatibus, non ideò erubescimus de opere Dei. Quantùm ad Aug. loquebatur in hypothesi Juliani, qui contendebat concupiscentiam esse bonam, & a Deo concessam primo homini ut beneficium: in qua hypothesi rectè Aug. arguebat contrà ipsum, quòd Deo esset ingratus, & ipsi injuriam faceret erubescendo de ejus dono.

Inst. 9. Christus assumpsit omnes defectus naturales hominis; atqui non assumpsit concupiscentiam: ergo concupiscen-